

egressione, seu dependentia reali a Verbo.

LII, Denique inquire: Si dignitas personæ dignificat actionem, et communicat illi valorem, seu æstimationem; ergo in homine justo crescente gratia, crescet dignitas in actibus; et sic si actus sint æqualis intensionis, ex eo solum quod unus procedat ab homine magis justo, quam alter, erit magis meritorius.

LIII. Respondetur, quod gratia habet duo officia; alterum est dignificare personam, et exinde actionem; alterum influere in actum, tamquam principium quo, sicut anima in cuius essentia est, mediantibus tamen suis virtutibus; si ergo major gratia influat ut principium quo, majori conatu in actus, non est dubium quin sint illi diversi meriti. Sed in casu proposito quod sint actus æqualis conatus, et intensionis, dico, quod dignitas major gratiæ in ratione dignificantis personam non reddit actum magis meritorium, et dignificatum ea dignitate, quæ provenit a persona, quia licet gratia intensior reddat personam magis gratam, et acceptam Deo in ratione sanctitatis, et justitiæ; in ratione tamen dignitatis ad meritum est dignitas ejusdem rationis, et solum accidentaliter variatur per hoc quod gratia sit major, quia dignitas merentis consistit in hoc quod consors fiat homo divinæ naturæ, et adoptetur in filium Dei, ut dicit S. Thomas 1-2, quæst. cxiv, art. iii. Hæc autem dignitas ejusdem æstimationis moralis est personaliter, licet gratia physice, et accidentaliter crescat, quia eadem adoptio filiorum est in omnibus, et eadem ratio consortii divinæ naturæ. Unde si actus sunt æquales in perfectione propria ex dignitate hac non trahunt majorem æstimationem in dignitate morali, sicut trahunt ex supposito divino, a quo non habent filiationem adoptivam,

sed naturalem, et dignitatem Personæ divinæ.

#### ARTICULUS II.

*Utrum omnes conditiones rigorosæ justitiæ intervenerint in satisfactione Christi Domini?*

I. Satisfactionem Christi perfectam esse ex parte pretii, et rei oblatæ sufficienter manebit probatum, ostendendo satisfacisse de toto rigore justitiæ. Et ut breviter difficultatem ipsam discutiamus, discurrendo per omnes conditiones requisitas ad rigorem justitiæ, sit

#### Conclusio.

II. Christus Dominus satisfacit ex toto rigore justitiæ, servando omnes conditiones ad id requisitas. Auctores, qui stant pro hac parte videri poterunt in magistro Cabrera hic disp. ix; Nazario controversia II, part. iv; magistro Alvarez hic disp. iv, sect. v et vi. Probatio, et explicatio hujus conclusionis, primo fieri potest in communi, deinde in particulari, discurrendo per omnes conditiones requisitas ad rigorem justitiæ.

III. In communi ergo id ostenditur, quia satisfactio Christi ita fuit perfecta ex parte ipsius, ut orta a tali persona, quæ non indiguerit ulla acceptatione creditoris, vel supplemento favorabili; ergo fuit ex toto rigore justitiæ. Consequentia patet, quia ubi non servantur omnes conditiones requisitæ de rigore justitiæ, aliquid oportet quod suppleatur a creditore, quia ipse potest de rigore juris exigere omnes conditiones: ergo si aliquam non exigit vel est quia servatur, vel quia ipse cedit de suo jure, et remittit rigorem

quem juste poterat exigere; ergo si non eguit satisfactio Christi ulla acceptatione ex parte Dei, servavit omnem rigorem justitiæ. Antecedens vero probatur, quia in Scripturis emper significatur satisfactio Christi, ut facta ex justitia simpliciter, secundum perfectiones justitiæ: ergo non est cur dicamus in aliquo non intervenisse conditiones ad justitiam requisitas, quia si deficerent, non diceretur justitia simpliciter, cum non excederet eam, quæ communiter justitia dicitur inter Deum, et homines.

IV. Quod autem Christi satisfactio simpliciter appelletur justitia, patet ad Roman. III: *Quem proposuit Deus propitiationem fidei per sanguinem ejus, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ suæ, etc.* item ad Colossenses II: *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* In quo intelligitur perfectissima justitia, quia tunc deletur chirographum, quando totum debitum est exhaustum; significatur ergo evacuasse Christum totum debitum peccati: item Psalm. cxxix: *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Quam redemptionem copiosam declarat Scriptura per hoc, quod est pro infinitis peccatis, et Joan. II: *Ipsa est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nobis autem tantum, sed totius mundi:* ac denique communiter Scriptura attribuit Christo facere justitiam et justum esse, Jerem. xxxiii: *In tempore illo germinare faciam David germen justitiæ, et faciet judicium in terra:* Isaïæ LI: *Prope est justus meus, egressus est salvator meus, etc.* et infra: *Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet:* et Isai. X: *Consummatio abbreviata inundabit justitiam, etc.*

V. Quæ locutiones cum sint ita frequentes in Scriptura, et ita exaggerent justitiam, quam Christus Dominus operatus est, verificari non possent si esset justitia indigens supplemento, et favore Dei, et non servans omnem rigorem justitiæ; quod non est simpliciter justitia, sed secundum quid. Et idem communiter sancti patres affirmant asserentes, et exaggerantes satisfactionem Christi, et ipsam justitiam, ut exactissimam prædicantes supra omnes debitum peccati, ut videri potest in auctoribus citatis.

VI. In particulari autem, descendendo ad conditiones requisitas ad rigorem justitiæ, discurremus per singulas conditiones, ostendendo eas convenire satisfactioni Christi: sunt autem quinque conditiones, quas supra disputatione prima, articulo primo, recensuimus. Prima, quod sit ad alterum: secunda, quod fiat satisfactio ex bonis propriis: tertia, quod nullo modo sint sub dominio creditoris: quarta, quod non sint alio titulo debita: quinta, quod creditor teneatur acceptare talem satisfactionem, nec possit aliam exigere. Ad has reducuntur, vel in his includuntur, omnes quotquot ab auctoribus numerantur ad rigorem justitiæ requisitæ.

#### PRIMA CONDITIO.

##### QUOD SIT AD ALTERUM.

VII. Difficultas inveniendi hanc conditionem in satisfactione Christi, præcipue consistit in hoc puncto, quod vera, et rigorosa justitia exigit quod sit ad alterum tamquam ad distinctum suppositum; nec solum quasi physice distinctum, sed quasi moraliter, ita quod secundum moralem æstimationem, non reputetur unum tamquam aliquid alterius,

sicut filius est aliquid patris, et servus domini, et ideo inter servum et dominum, filium et patrem, non est justitia proprie, et rigore dicta. Et ita D. Thomas 2-2, quæst. LVIII, artic. II, dicit: « Quod justitia proprie dicta, requirit diversitatem suppositorum, et ideo non est nisi unius hominis ad alium: sed secundum similitudinem accipiuntur in uno, et eodem homine diversa principia actionum, quasi diversa agentia, sicut ratio, et irascibilis, et concupiscibilis; et ideo metaphorice in uno, et eodem homine dicitur esse justitia. »

VIII. Unde constat justitiam ita esse ad alterum, seu inter duo, quod debet esse inter duo, quæ se habeant ut principia quod, non quo; nec enim una natura satisfacit alteri, sicut nec agit. In Christo autem solum est unum principium quod subsistens in duabus naturis; ergo non potest in quantum homo, sibi in quantum Deo satisfacere: cum sit idem suppositum quantum Deus, et in quantum homo. Constat autem quod Christus non solum satisfacit Patri, aut Spiritui sancto, sed etiam ipsi Verbo ut Deus est, quia tota Trinitas erat offensa per peccatum, et sic etiam Filio debebat fieri recompensatio.

IX. Unde explosa manet aliquorum sententia, qui dicebant Christum satisfacisse Personæ Patris, quæ ab illo distincta est, quia sic videtur loqui Scriptura, dum dicit, quod: *Accessum habemus ad Patrem per ipsum, et advocatum habemus apud Patrem, etc.* cum tamen in his locis non possit intelligi nomen Patris pro sola Persona, prout dicit relationem ad Personam Filii, sed pro ipso Deo ut est pater hominum per gratiam. Constat enim non solum Personæ Patris, sed toti Trinitati factam fuisse offensam.

X. Pater Vazquez disp. VIII, cap.

VII, dicit humanitatem satisfacisse ut quod, et ex hac parte distingui a persona creditoris, cui satisfacit; sed non sufficere hoc, ut vere sit ad alterum, quia non sufficit ad alterum in persona, nisi sit etiam in bonis, ita quod bona unius non sint alterius, quod hic non currit. Sed hæc sententia quantum ad primum, partem de humanitate agente ut quod, supra est refutata. Et quoad secundum, quod requiritur distinctio in bonis, pertinet ad secundam, et tertiam conditionem, de qua statim agemus: nunc enim solum agimus de hoc quod est ad alterum in persona.

XI. E contra vero, alii dicunt sufficere distincta dominia, et jura, licet sit una persona, hic autem cum sint distinctæ voluntates sunt diversa dominia. Sed hoc non sufficit, quia inter ipsa dominia non exercetur justitia, sed inter personas ratione dominationis; ergo quamvis diversa dominia sint, restat solvere quomodo ejusdem personæ ad ipsam sit justitia.

XII. Quare communis responsio (aliis omissis, quæ minoris momenti sunt) solvit hanc difficultatem dicendo, quod in Christo licet fuerit tantum unum suppositum entitative, et formaliter, gerit tamen vices diversorum suppositorum, quia propter infinitatem suam, cum possit substantialiter subsistere in pluribus naturis, habet etiam omnia illa supplere, et facere, quæ plura supposita facerent. Et quidem in Christo fuit sufficiens ratio ad alterum in genere obedientiæ, ergo et in genere justitiæ. Antecedens est de fide ad Philippens. III: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem: et ad Hebræos V: Didicit ex his, quæ passus est obedientiam.*

XIII. Consequentia patet, quia obedientia est pars potentialis justitiæ,

quia inferior reddit debitum superiori, ut dicit sanctus doctor 2-2, quæst. LXXX, articulo unico ad tertium. Et similiter in Christo fuit religio secundum quam coluit, et honoravit Deum juxta illud Joann. VIII: *Honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me: unde, et sæpe oravit ad Patrem, et ei obtulit sacrificium corporis sui; actus autem sacrificii, et orationis est actus religionis; religio autem cum sit pars justitiæ habet esse ad alterum; nec justitia potest requirere magis rationem ad alterum, quam religio, et obedientia; neque enim aliquis proprie obedit sibi, sicut nec imperat sibi, nec habet cultus erga se; sed erga alium; ex hac ergo parte, si justitia rejicitur, debet rejici religio, et obedientia a Christo, quod pugnat cum Scriptura.*

XIV. Quando ergo S. Thomas requirit ad rationem justitiæ distinctionem suppositorum, ut sit proprie ad alterum dicimus, quod debet intelligi de distinctis, seu diversis suppositis formaliter, vel virtualiter. Et dicimus virtualiter distingui, non virtualiter partialiter, sed virtualiter, id est, quando aliqua natura de se petit totale suppositum distinctum ab alia, et totalitas ista suppletur per unum, et idem suppositum, quod propter infinitatem suam totaliter continet, et facit id quod duo supposita limitata, tunc illa unitas suppositi relinquit virtutalem diversitatem, seu totalitatem, ut possint eodem modo se habere, ac si essent supposita distincta, quia id suppletur per infinitatem unius. Sicut si Verbum assumeret duas humanitates, vel naturam angelicam, et humanam, illi duo homines inter se possent actus justitiæ exercere, non minus, quam si esset in suis propriis suppositis, et homo ab Angelo moveri, et circa illum operari, non minus quam modo, cum sint

in diversis suppositis propriis. Signum ergo est, quod unitas illa suppositi suppletis pluralitatem totalem multorum, non tollit perfectam rationem ad alterum eminentialiter, sed virtualiter, quod sufficit ad rationem justitiæ.

XV. Et eadem ratione, qua illud unum suppositum potest esse virtualiter duplex, totum physice est, et duplex moraliter, quia in humanis, quod duo supposita physica moraliter non censeantur diversa, non est quia unum est aliquid alterius, sicut filius patris, vel servus domini, quantum ad entitatem, seu naturam; sed quia bona unius sunt alteri subordinata, et a dominio alterius reguntur. Constat enim quod filius, licet sit aliquid procedens a patre, et per aliquid ab eo decisum generatus, tamen si emancipetur potest veram justitiam erga patrem exercere (ut omnes fatetur) ergo quod inter patrem, et filium non sit justitia, quia censentur moraliter esse unum, non est propter unitatem in natura moralem, sed in regimine, et administratione bonorum, et idem est respectu servi et domini. Quare hæc identitas moralis inter supposita pertinet ad secundam et tertiam conditionem, an videlicet ex propriis, et quæ non sint sub dominio creditoris Christus satisfacere; et ex his manet refutata patris Loreæ sententia hic disp. VIII, num. XIII, existimantis non esse simpliciter distinctionem in satisfactione Christi, quæ requiritur ad justitiam.

#### SECUNDA CONDITIO.

##### QUOD SIT EX PROPRIIS.

XVI. Hæc conditio pendet multum ex tertia, ubi plenius explicabitur. Hic tamen inchoanda est ejus explicatio, quia ad justitiam exercendam

requiritur, et quod bona sint propria, id est, non donata a creditore perfecte: et requiritur quod non sint sub dominio creditoris. Quod ergo Christus non satisfecerit ex propriis, sed ex gratis acceptis, existimat Vazquez hic disput. viii, cap. iii. Et quidem cohærenter ad suam sententiam, quod humanitas satisfecerit, ut principium quod. Existimat enim satisfactionem Christi non esse ex justitia propria, sed generali, sicut meritum nostrum, quo meremur vitam æternam, non procedit ex propriis, sed ex acceptis a Deo gratis, et tamen vere meremur, et ex justitia facimus debitum præmium.

XVII. Quod ergo Christus, quia satisfecit in quantum homo, ex gratis acceptis satisfecerit probat, quia omnis creatura indiget gratia Dei, et eam gratis accipit ut mereatur; Christus vero in quantum homo est creatura; ergo in quantum homo indiget gratia Dei, et non satisfacit ex propriis: secundo, quia Christus in quantum homo prædestinatus est Filius Dei, hoc est ad unionem hypostaticam, sed prædestinatio: « Est gratiæ præparatio, » ut ait Augustinus; ergo Christus in quantum homo fuit ab æterno præparata gratia unionis: ergo, et in tempore fuit collata gratia ista gratis: ergo Christus in quantum homo accepit gratiam, et consequenter non satisfacit ex propriis in quantum homo, sed ex gratis acceptis.

XVIII. Nec potest dici, quod Christo, in quantum homo non fit gratia, accipiendo hominem pro supposito in concreto, licet ipsi naturæ gratia fiat. Nam quando ponitur particula in quantum, ly homo non tenet se ex parte subjecti, sed ex parte prædicati: idem est enim, ac si diceretur Christus in quantum est homo, etc. ubi ly homo tenet se ex parte prædicati, atque adeo suppo-

nit pro natura, quia terminus concretus positus a parte prædicati semper stat pro natura; præsertim quando ponitur particula in quantum; sicut ista: Christus in quantum est homo satisfecit, et redemit nos: ergo ly homo stat ibi pro natura, atque adeo est capax gratiæ, et per gratis accepta, satisfecit. Et pari modo concedendum est, quod in quantum homo satisfecit, et quod ex gratis acceptis satisfecit; atque adeo non ex toto rigore justitiæ.

Communis solutio fatetur, quod ad rigorem justitiæ ita requiritur, quod fiat aliquid ex propriis, quod tamen non excluditur quæcumque gratia quocumque modo facta, quia bene potest esse, quod aliquid comparative ad aliquid sit gratia, et respectu alterius non. Et sic dicunt, quod bene potest aliquid gratis accipi a creditore, non in ordine ad satisfactionem; ex quo tamen postea debitor satisfaciatur, postquam fecit illud suum, et sic jam non satisfacit ex gratis acceptis in ordine ad satisfactionem, et hoc sufficit ut ipsa satisfactio non gratuite, sed ex justitia acceptetur. Non enim opponitur satisfactioni ex justitia, quod fiat ex proprio gratis quomodocumque accepto; sed ita gratis quod redundet in ipsam acceptationem, ita ut quando acceptatur, non omnino ex justitia acceptetur.

XIX. Item, potest aliquid gratis accipi a creditore in se, cujus tamen operatio postea egrediens sit ex industria, et labore proprio debitoris, et quia hoc addit de suo respectu, ut est actio propria illius satisfacit ex justitia; sicut si aliquis acciperet a locatore aratrum, vel ligonem, quo laboraret in vinea, non ideo labor ille minus mereretur ex justitia, quam qui proprio ligone laboraret. Et similiter, quia acciperet pecuniam mutuam a creditore, ut ea negotiaretur, si ex negotiatione red-

deret creditori debitum, solveret ex justitia. Sic Christus licet acciperet gratis aliquid a Deo, non tamen ad effectum satisfactionis præcise, sed ob alium titulum, scilicet propter communicationem summam divinæ bonitatis, etc. Similiter etiam opera a Christo facta innitebantur proprio labori, et passioni ipsius, et sic reddebat ex propriis Deo.

XX. His duabus rationibus utuntur Nazarius hic controvers. ii, part. iv, et Suarez disp. iv, sect. vi, quamvis prima ratio non possit currere in sententia quæ asserit Christum præcise venisse in remedium et satisfactionem peccati, ut disputatione sequenti dicemus; tunc enim accipit omnia a creditore, ut satisfaceret. Addenda est ergo alia ratio, quam hic ponit Suarez, et communiter utuntur Thomistæ, Cabrera hic disp. ix, num. xlii; Lorca disp. viii, num. xvii, et alii communiter, scilicet, quod gratia, quæ facta est, fuit facta naturæ, non tamen supposito. Unde ex parte principii quo non satisfaciebatur ex propriis; hinc tamen ex parte principii quod, seu suppositi, cui non fiebat aliqua gratia, quia ei daretur humanitas etiam ornata omnibus gratiis, et adjuta omni auxilio Dei, quia totum hoc respectu Verbi non erat gratia, sed potius humiliatio, seu dignatio ipsius, imo ipsi humanitati fiebat gratia, quod uniretur Verbo; atque adeo Verbum accepit humanitatem quasi ligonem, aut aratrum ad laborandum, quia in propria natura laborare non poterat, et ex hoc dedit valorem actionibus humanitatis, sicut homo dat motum ligoni ad operandum; ita quod si in ligone esset capacitas recipiendi aliquid gratis, magna gratia fieret in eo quod reciperet motum a manibus hominis, ipse tamen homo in ligone laborans, non gratis mereretur merce-

dem, sed ex justitia tamquam ex propriis.

XXI. Dices: Ergo facit humanitati gratiam, et Christo ut homini gratis multa confert; imo et ipsa unio gratis data est humanitati, et consequenter actionibus ejus, quod totum est fieri gratiam principio quo operationum; ipsi tamen principio quod, seu personæ illius hominis nulla fit gratia. Actiones autem istæ licet habeant magnum valorem ex principio quo, prout gratia ornata, non tamen satisfaciunt infinite, et de rigore justitiæ, nisi prout terminatæ a Persona Verbi, et ut sunt aliquid illius ut terminantis; si ergo ipsi ut terminanti naturam, et operationem, nulla fit gratia, illa actio ut satisfactiva, est non ex liberalitate, et gratia creditoris, sed ex propriis satisfaciens, id est, Verbi, ut terminantis hunc valorem.

XXII. Ad fundamenta Vazquez, quantum ad id quod affert de merito nostro, quia meremur ex justitia, et tamen per principia gratis accepta, constat disparitas ex dictis, quia nobis undequaque fit gratia, etiam ex parte personæ, et ideo non habet locum rigorosa justitia, sed solum generali quadam ratione, quæ non currit in Christo. Ad primam rationem eodem modo respondetur illum syllogismum concludere, quod christo ex parte principii quo, seu humanæ naturæ fit gratia, non personæ ut terminanti, et satisfaciens; et ita Christus ut homo non satisfacit ex propriis illius hominis, si ly ut reduplicet naturam humanam; satisfacit tamen ex propriis illius hominis, si ly ut specificative sumatur pro supposito, quatenus supposito non fit gratia, et actiones, ut pendent a supposito, non sunt ex acceptis gratis ab ipso supposito.

XXIII. Ad secundam rationem, dicitur, quod ut determinat S. Tho-